

mis his, qui in scholis inferioribus ad solidioris doctrinae scientiam erudiuntur, non satis accommodati videantur. Nam, ut ab his incipiam, qui de mathematicis artibus exstant: ii fere integrum earum orbem continent: quod quidem per se minime reprehendimus; sed tamen nec illud veremur affirmare, eam rem ipsam facere, ut commode in hac scholastica disciplina adhiberi nequeant.

Constat inter omnes, quantam veteres scientiae mathematicae, eique parti in primis, quae Geometria dicitur, ad acuendum iuuenile ingenium, idemque ad Philosophiae disciplinam praeparandum, vim tribuerint. Quintilianus quidem, hanc opinionem semper fuisse, tradit, Instit. Orat. L. I. c. 10. in Geometria partem esse utilem teneris aetatibus: agitari namque animos, atque acui ingenia, et celeritatem percipiendi inde venire: sed prodesse eam, non ut ceteras artes, cum perceptae sint, sed cum discatur. Platonem autem, satis constat, ne admittere quidem ad disciplinam suam voluisse, qui non Geometria percipienda subactum ingenium afferrent.

Sed in huius sententiae interpretatione non levis error versatur eorum, qui Geometria percipienda acui ad Philosophiam ingenia putant, propter hanc tantum causam, quod in ea tractanda et explicanda is modus, ea ratio, adhibeatur, ut et ipsa facile disci, et animus discantis adsuefieri intelligendo
vero